

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Anthropologia Anatomico-Physica

Baumer, Johann Wilhelm

Francofurti, 1784

VD18 11680695

Cap. XXVIII. De nervis encephali.

urn:nbn:de:gbv:45:1-16622

borum vertebram coniungit. Vid. *Alb. de Haller* icon. anat. fasc. VII. tab. V. In infimo duræ matris sacco ligamenta tria, duo scilicet lateralia, ac unum medium, descendunt, quæ plana sua figura facile a cauda equina distinguuntur. Præter dicta involucra, osseus vertebrarum canalis alio adhuc integumento intrinsecus vestitus est.

§. XVII.

Tam encephali, quam medullæ spinæ ^{Encephali & med. spin. usus.} substantia medullaris nervis generandis, spiritibus animalibus fecernendis, omnibusque actionibus inde dependentibus procurandis, destinata est. Encephalo vel medulla spinali ex parte, vel in totum, compressis, quædam vel omnes actiones ab eorum nervis pendentes ex parte, vel in totum, minuuntur, aut cessant. Medullari encephali substantia irritata, per totum corpus convulsiones regnant. Ex encephalo inflammato phrenitis idiopathica oritur. Quæ omnia, post caussarum remotionem, cessant; nisi dictarum partium læsio relicta sit.

CAP. XXVIII.

De nervis encephali.

§. I.

Nervi sunt fasciculi medullosi, teretes ex ^{Nervi.} medullis oblongata ac spinali provenientes, membranis suis infra dicendis tecti,

atque ex cranii & spinæ dorsi foraminibus ad omnes corporis partes abeunt. Pro ortus ac muneris diversitate in nervos cerebri ac medullæ spinalis, ut & in sentientes ac moventes dividuntur. Nervi, vasorum sanguiferorum instar, ramos ad angulos acutos, sæpe retrogrados protrudunt, creberrimasque connexiones inter se admittunt. Unius lateris nervos ex latere opposito oriri, non solum fibræ ad medullæ oblongatæ exitum, nec non in medulla spinali ab uno latere ad alterum pergentes, sed etiam observationes anatomicæ confirmant, secundum quas in paralyticis unius lateris affectibus in opposito latere mali causa constanter deprehenditur. Vid. *Raym. Vieuse- ni* nervographia universalis, Lugd. 1684. Diff. de nervis corporis humani, sub præsidio meo Erford. MDCCLXIII. habita. Suppuratione in lobo cerebri sinistro suborta, convulsiones maxillæ & brachii dextri, & vice versa, observatæ sunt. Vid. l'Histoire de l'Academie Royale des Sciences 1700. p. 56. *Dn. Alex. Monro* anatome nervorum contracta, ex Anglico traducta, Franequeræ MDCCLIII.

§. II.

*Varius or-
tus atque
exitus.*

Ex medulla oblongata nervi fibrillis arcte sibi invicem appo- sitis, eandem fere crassitiem in ortu ac progressu suo plerumque obtinentes, oriuntur. Nonnulli tamen tenui principio originem sumentes in progressu suo crassiores fiunt, in quem cen-

sum olfactorius, intercostalis & accessorius Willisii veniunt. At ex medulla spinali radiculis subtilissimis, successive crassescen-
tibus, prodeunt, eorumque coalitus ner-
vorum trunculum constituit. Encephali
nervorum alii in origine sua admodum
molles, & quasi medulla protracta sunt,
atque in progressu vel ipsi, vel eorum ra-
muli, valentiores fiunt, atque ex pluribus
filis compositi sunt. Alii pluribus filamen-
tis v. c. paria octavum ac nonum omnes-
que medullæ spinalis nervi acturum oriun-
tur. In exitu suo quidam nervi e. g. oph-
thalmicus ac mollis acustici portio in cor-
pus pulposum sese explicant. Alii v. c. in
gustus tactusque organis, papillis diversæ
figuræ ac magnitudinis, alii rursus tenerri-
mis filamentis, visum fugientibus, e. g. in
visceribus, musculis atque integumentis
communibus, desinunt. Nervorum plu-
rimi musculos, cutim multi, pauciores
viscera, atque inter hæc pulmones paucif-
simi, adeunt.

§. III.

Membrana arachnoidea ac pia matre *Eorum*
nervi statim sub exitu suo ex utraque me-
dulla investuntur, dein, ad suum in dura *involucra.*
matre foramen abeuntes, plurimi eandem,
multis vasis exornatam, pro exteriori invo-
lucro accipiunt; sed ad destinationis suæ
locum devenientes, seposito crassiori inte-
gumento, non nisi pia matre amicti, viscera
ac musculos intrant.

Schol. Nervi per se elastici non sunt, dissecti non resiliunt, sed, contractis involucris, medullam suam exprimunt. Ubi vero involucro suo vestiti, vel in filamenta membranis firmata divisi sunt, tensionem, horum respectu, utique admittere possunt.

§. III.

Ganglia.

Ganglia, ovales durique nervorum nodi, ex nervis & tela cellulosa extus laxa, intus stipata, constructa sunt. Maiora ganglia, exteriori involucro suo nudata, in externa facie rete quoddam nervosum, membranulis suis tenaciter implicatum, exhibent, & sub hoc fibræ eleganti ordine dispositæ, per totum ganglion protensæ, conspiciuntur. Nervorum, in ganglia partim directe, partim oblique delatorum, plerique ad internam eorum substantiam penetrant, alii vero tantum in eorum volucra immittuntur. Intra ganglia etiam ramuli arteriosi & radiculae venosæ, ad vasa sanguifera proxima pertinentes, inveniuntur, a quibus illorum rubor pendet. Nusquam ganglia uni nervo appendi, sed plures admittere, permiscere atque colligari solent; hinc in nervis sensoriiis, pari vago, phrenico atque artuum nervis non reperiuntur, sed pari quinto, intercostali ac spinalibus propria sunt. Vid. *Dn. Jo. Gottl. Haase* diff. de nervorum gangliis. Ex *Jacobi Johnstonii* sententia, nervorum ganglia involuntarios cordis ac intestinorum motus promovent. Vid. *eius*

tentamen de usu gangliorum, idiom. Angl. Lond. MDCCLXXI. Gangliorum icones vide in *J. B. Morgagni* adveri. anat. V. tab. II. fig. I-III. *Alb. de Haller* icon. anat. fasc. I. tab. II. fasc. VII. tab. V.

§. V.

Uno duobusve nervis plures ramulos ^{Nervorum} simul ac semel emittentibus, plexus oritur, ^{plexus.} cuius rami, primo inter se implicati, in diversas postea plagas, arteriarum focii, feruntur. A superiori ganglio plexus hi ut plurimum pendent, quod nervos ramosos his mittit.

§. VI.

Nervorum cerebri novem paria numerantur, quæ, cerebro suspensa manu sublato, sequenti ordine visui sensim se offerunt: olfactorium, opticum, oculos movens, trochleare, vel patheticum, divisum, vel quintum, abducens, acusticum, vagum & linguale. Vid *Frid. Ruyschii* epist. anat. XII. tab. XIII. *Wilh. Comperi* anatomia C. H. tab. VI. fig. XXXVIII. & tab. VIII. *Alb. de Haller* icon. anat. fasc. I. tab. VI. fasc. VII. tab. I. *S. T. Sæmmering* de basi encephali & originibus nervorum cranio egredientium, *Gœtt.* MDCCLXXVIII.

§. VII.

Par olfactorium a corporibus striatis, ad ^{Par olfa-} anteriora medullæ oblongatæ crura perti- ^{torium.} nentibus, productum, ut fila tenera alba

inter se contigua, tenuissima membrana tecta, sub processibus mammillaribus ad os cribrosum pergit, atque, assumtis orbitalis vicini ac malæ nervi ramusculis, pluribus ramulis, per illius foraminula penetrantibus, in tunicam pituitariam se immittit. Vid. *Dn. Jo. Dan. Metzgeri* nervorum primi paris historia, Argent. MDCCLXVI.

Obs. In corpore viri quadragenarii mortuo nervos opticos solidos, calami straminei compressi formam æmulantes, atque in bove, in quo iumentorum genere primum nervorum par admodum distincte cernitur, illos sub filamentorum, firma membrana involutorum, atque separatim ad os ethmoideum decurrentium, observavi.

§. VIII.

Par opticum.

Par opticum quoad maximam partem ex thalamis suis, aliaque ex parte ex cruribus fornicis posterioribus surgens, omnium nervorum cerebri maximum, intus porosum ac arteria centrali præditum, ad anteriorem glandulæ pituitariæ faciem, in sella turcica ut plurimum inter se iunctum, iterumque separatim, optica processuum clinoideorum anteriorum foramina, orbitam oculique tunicas, a latere huius posteriori ac interiori, ad ingressionis locum angustatum, curvo itinere intrat, atque expansione sua tunicam retinam, vasculis sanguiferis pictam, ac humorem vitreum circumdantem, producit.

§. VIII.

Par oculos movens, pone par secundum ad posteriora fellæ turcicæ latera, ex imis crurum medullæ oblongatæ anteriorum lateribus egrediens, dein nervo optico incumbens, prope orbitam in VI. ramos, superiorem huius fissuram intrantes, dividitur; quorum primus oculi ac palpebræ superioris levatori, secundus musculo attolenti, tertius deprimenti, quartus adducenti, quintus obliquo inferiori ac sextus oculi tunicis destinatus est. Hic *ganglion ophthalmicum* cum quinti paris ramo ophthalmico ad exterius nervi optici latus, sub musculo abductore facit, cuius rami recti scleroticam perforantes adque ad uveam penetrantes nervis ciliaribus originem præbent. Vid. *Alb. de Haller* icon. anat. fasc. I. tab. VI. *Jo. Gottfr. Zinn* descriptio oculi hum. anat. tab. III. fig. i. lit. c.

*Par oculo-
los mo-
uens.*

§. X.

Par trochleare, Willisio patheticum, pone par tertium, ad latus eius exterius, circa ossis petrosi marginem, a pedunculis cerebelli anterioribus tenue & simplex, aut bifidum, oritur, & versus duræ matris duplicaturam ad partis petrosæ apicem pergens, atque per fissuram orbitalem superiorem e cranio egrediens, datis hinc inde ramulis, musculum trochlearem, seu obliquum maiorem, ingreditur.

*Par troch-
leare.*

§. XI.

*Par divi-
sum.*

Par quintum vel divisum, pone quartum ex protuberantiæ annularis parte anteriore, super partis petrosæ apicem, pluribus filamentis, arcte inter se cohærentibus, duosque truncos constituentibus, enatum, magnum est, & mox sub dura matre, in tres ramos insignes dividitur. I. Superior tenuissimus ac longissimus, *ophthalmicus Willisii*, fissuram orbitalem superiorem ingreditur, ibique in tres ramos, scilicet frontalem, vel superciliarem, inferiorem, vel nasalem, atque externum, vel lacrymale subdivisus, palpebris, frontis, nasi ac temporum musculis, glandulæ lacrymali atque faciei integumentis ramulos mittit. Illorum ramorum frontalis maximus est, qui, superiorem orbitæ partem permeans, sparsis hinc inde ramulis v. c. supratrochleari ac infratrochleari, ex foramine superciliari egrediens, musculis ramulos profundos & cuti superficiales donat. Ramulus nasalis ad ganglion ophthalmicum formandum, & consequenter nervos ciliares producendos, cum tertii paris ramo cooperans palpebræ superiori, carunculæ & sacco lacrymalibus ac tunicæ pituitariæ ramulos mittit. Ramus autem lacrymalis, missis tunicæ adnatæ palpebræ superiori ossique iugali ramulis, glandulam innominatam intrans, multis eam ramusculus ditat. II. *Male nervus*, inter quinti paris ramos medius, foramen ossis sphenoidi rotundum permeans, ganglio præditus,

atque in quinque ramos *malæ subcutaneum, orbitalem inferiorem*, a quo alveolares malæ anteriores, palpebrales inferiores, nasales superficiales, ac labiales superiores sunt, *palatinum, sphenopalatinum* atque *alveolarem posteriorem* dividitur. A palatino nasales tunicae pituitariae inferiores, & ramuli uvulae atque palati veniunt. Sphenopalatino pterygoideus recurrens, nervulos nasales superiores largiens, nervus ossis petrosi, aliique ramuli, debentur. III. Maxillaris, cum præcedente in principio coniunctus, atque foramen ossis sphenoidi rotundum permeans, maxillae canalem ingrediens, atque ex foraminibus eius anterioribus egrediens, dentibus, gingivæ, labiis, atque musculis triangulari mylohyoideo, crotaphitidi, masseteri, buccinatori, pterygoideis ac digastrico ramulos imperitur. Vid. *Jo. Frid. Meckelii* diss. de quinto pari nervorum cerebri, Gœttingæ MDCCXLVIII. *Eius* observatio de ganglio secundi rami V. paris nervorum cerebri, cui accedit examen de gangliorum nervosorum utilitate, in historia Acad. R. scientiarum & bonarum liter. Berol. MDCCXLVIII.

§. XII.

Par sextum, abducens, vel oculos cin- *Par ab-*
gens, quandoque duplicatum, ad internum *ducens.*
paris quinti latus, ac versus medium basæos
cranii locum, ab ima protuberantiæ annu-
laris parte, quandoque a pyramidalium

initio, vel utriusque interstitio, nascens, dato uno alterove, pro nervi intercostalis, canalem osseum caroticum transeuntis, formatione, ramulo, per fissuram orbitæ superiorem, abducentem oculi musculum ingreditur. Vid. *B. Eustachii* tab. anat. XVIII. fig. I. lit. π. A sexto pari alii nonnunquam ramuli etiam prodeunt, qui licet eundem canalem osseum subeant, attamen ad nervum intercostalem haud pertinent.

§. XIII.

Par acusticum.

Paris septimi, *acustici*, pone par quintum extrorsum obvii, *portio mollis* maior, inferior ac posterior e pedunculis cerebelli duabus striis diversis, ac *portio dura* minor, superior & anterior, a postrema pontis Varolii parte emergunt, atque se invicem usque ad meatus auditorii interni orificium comitantur. Dein *portio mollis*, primariam organi auditus partem constituens, per subtilissima foraminis cæci ostiola labyrinthum cochleamque minutis filamentis ingreditur, nec ad exteriora procedit. De tribus autem ramis, in quos *portio mollis* præcipue distribuitur, anterior in baseos cochleæ sinuositatem recipitur, atque in ipsam modioli substantiam eius fibrillæ penetrant. Reliqui vero duo rami ad vestibulum pertinent. Vid. *J. B. Morgagni* epist. anat. XII. art. XLIII-XLVI. *Portio dura* in anteriore processus petrosi parte, remisso in cranii cavitatem uno alterove ramulo, aquæductum Fallopii permeans atque inter

canalem femicircularem externum ac foramen ovale tympanum ingrediens tympani chordæ, ac musculus ossiculorum auditus, ramulos mittit. Sub egressu suo ex foramine stylo-mastoideo proveniens, & ganglio gaudens aurem externam, parotides, pericranium, palpebras, faciem, labia, & temporis ossisque hyoidei musculos subit, atque cum nervo temporali superficiali, cervicali, nervis malæ & maxillæ, ac pharyngo, paris octavi ramo, connexiones admittit. Ipsa tympani chorda ex duræ portionis ramulis cum quinti paris ramusculo unitis chorda tympani composita est. Vid. *F. Meckelii* obs. anat. de glandula pineali, septo lucido & origine paris septimi nervorum cerebri, vid. l'Histoire de l'Acad. R. des Sciences p. 91. à Berlin 1765.

§. XIII.

Par octavum, vagum, ex protuberantia pyramidalis ac olivaris intervallo pluribus filamentis, in duos fasciculos collectis, oritur, & cum *nervo accessorio Willisii* a medulla spinali per foramen magnum ossis occipitis veniente, per anteriorem foraminis lateris partem duobus locis exigua membrana vel septo osseo directi vagina circumdatum, ex cranio egrediens, ac superiori paris intercostalis ganglio adhærens, inter carotidem ac iugularem internam per collum, dein per thoracem, ac musculosam diaphragmatis partem ad abdomen descendit. Sub descensu suo, primum ramis

O

pharyngeo superiori ac inferiori, ac lingu-
guali aliisque parvis ad loca vicina dimif-
fis, & cum pari linguale, intercostali ac
cervicalibus connexiones admittens, atque,
circa arteriæ subclaviæ exortum, pectus
ingrediens, in suprema huius parte nervos
recurrentes, in quinque ramos divisos,
ad laryngem remittit, & per pectoris
viscera longe lateque vagans pulmonibus,
œsophago, mediastino, cordi, ventriculo,
hepatis, spleni, mesenterio ac renibus ramu-
los distribuit, solum plexus œsophageos &
coronario-stomachicum, & cum nervo in-
tercostali pulmonarium, cardiacum, hepati-
cum, splenicum, renales ac mesentericos,
in quibus denique disparet, constituit. Vid.
B. Eustachii tab. anat. XVIII. *J. B. Morgagni*
advers. anat. V. tab. II. fig. I. *Aug. Frid.*
Waltheri paris vagi & intercostalis humani
corporis nervorum investigatio singularis,
Lipf. MDCCXXXIII.

Obs. Nervis paris octavi ligatis magnus
cordis tremor animali accidebat, quo cessante,
idem, per plures dies superstes tam diu vixit,
donec, viribus præ longa inedia sensim attritis,
enecaretur. Vid. *Thom. Willisius* in nervorum
descriptione cap. XII.

§. XV.

*Par lin-
gualis.*

Par nonum, linguale, pone internum
paris octavi latus, ex sulco inter protube-
rantiam pyramidalem atque olivarem, qua-
tuor utrimque filis productum, per fora-

mina super ossis occipitis condylos sita, datis octavo pari, cervicalibus superioribus, glandulis iugularibus & musculis ossis hyoidei ramulis, egrediens, atque inter carotidem ac iugularem internam descendens, ad maxillæ angulum, linguam eiusque musculos ingreditur. Quædam huius paris fibræ, cum quinti paris ramusculis connexæ, in papillis, superiorem linguæ partem occupantibus, terminantur. Vid. *Raym. Vietsenii* nervographia universalis l.III.c.VIII. Lugd. MDCLXXXIII. *J. Franc. Wilb. Bæbmeri* diss. de nono pari nervorum cerebri, Gœtt. MDCCLXXVII.

Schol. Ex cerebri medulla par olfactorium, opticum & oculos movens, ex cerebelli medulla par trochleare ac divisum, atque ex utriusque coniunctione reliqua nervorum cerebri paria ortum ducunt. Vid. *Alb. de Haller* primæ lineæ physiologiæ, §.CCCLXXI.

CAP. XXVIII.

De nervo splanchnico magno, vulgo intercostali.

§. I.

A sexto nervorum pari modo duplici, modo simplici, principio in sinu duræ meningis cavernoso, nervus intercostalis magnus, splanchnicus magnus, originem ducit. Radix eius maior anterior atque

Nervus intercostalis.